

R. PATER MARTINUS


XI^{us} PRIOR CARTUSIÆ

Annus Christi 1234; Institutionis Ordinis 149.

REVERENDUS Pater Dominus Martinus professus almæ Cartusiæ, tunc præerat angelicæ casæ Portarum, cum ad supremum electus est oneris et honoris Cartusiensis culmen, sub pontificatu Gregorii IX, imperio Balduini, et regno sanctissimi Ludovici IX. Erat noster Martinus vir scientia, pietate, sanctitate clarissimus, in eoque relucebat humilitas singularis, caritas admirabilis et autoritas augustalis. Is gentilitium insigne, anno 1239, Domui Cartusiæ tribuit ex orbe supposita cruce compositum : quod adhuc integrum incorruptumque servat sancta eremus, cum sola cruce antiquitas uteretur. Monumentum ære perennius, et rite Cartusianæ constantiæ conveniens sic explicatum.

Cruc stat dum volvitur orbis, et

SIGILLUM PARVUM
QUO UTITUR COR-
RERIUS CARTUSIÆ.



Mundo inconcussa supersto.

Martino Cartusiam regente, et VII Calendas Decembris anni 1241, altissimus mons qui est supra Asperum-montem (Aspremont), disjunctus ab altero, cadens vallesque coarctans, quinque ecclesias circa Faurasium Cartusiæ cellarium cum infinita populi multitudine operit : a Sancti scilicet Andreae Sabaudia decanatu (et ipse Prior periiit simoniacus) ad capellam (quæ nunc

est monasterium Ordinis Sancti Francisci) divæ Mariæ de Myans. Hæc vero montis disjunctio nobis ex hac parte iter ad Cartusiam aperuit. Ille fortassis est mons de quo loquitur V. P. Gaultier, Geneb., p. 644. pag. 679.

D. Martinus nostri sacri Ordinis antistes, post commissi sibi muneris exactissimam habitam curam, post vitam suam Deo et hominibus exemplariter commendatam, vix 8 annis in Cartusia peractis, nono incipiente sub fine istius 1242, ab hujus vitæ tempestatibus ad quietis portum et ad felicitiora regna transfertur.

Innocentius Papa quartus : Non tenemur ire ad Synodum, nec coram episcopis comparere in judicio, cum aliis quatuordecim privilegiis. (In fine Statutorum Antiquorum.)

AMEDEUS EPISCO-
PUS MAURIANENSIS.

BONIFACIUS FA-
CTUS EPISCOPUS AN-
NO 1234;

ARCHIEPISCOPUS
VERO ANNO 1243.

Reverendissimus Bonifacius, octavus filius Illustrissimi Thomæ Comitis Sabaudia, qui pridem valefaciens mundo omnique sæculari pompæ, Amedeum fratrem secutus, se Deo in Cartusia magno Principibus exemplo dicarat. Ex Novitio Cartusiano ad episcopatum Bellicensem evehitur anno 1234. (Antiquit. Britann. folio 170. — Pingonius in Enodatione arboris Sabaudien- sis, pag. 32; et tabula ms. Bellicensium episcoporum.)

Et post mortem S. Edmundi archiepiscopi Cantuariensis, vacavit archiepiscopatus plus annis 3, cum postremo regis jussu monachi Cantuarienses elegerunt archiepiscopum Bonifacium Sabaudiensem, tunc Bellicensem antistitem ex Novitio almæ Cartusiae, qui Alcioneræ reginae Angliæ avunculus erat.

Cartusiae quæ initium habuerunt tempore R. P. D. Martini :
Domus Vallis Sancti Georgii, anno 1235.

Domus Parci, anno 1236.

Domus Monialium de Tharnuto, anno 1237. (Alienata.)

Domus Poletensis Monialium, postea monachorum (nuncque concessa Domui Lugdunensi) anno 1240.